Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 405
Quelle:
Copyright:

Immoror obſcuris leue tranſuolo ſic breuitati
Hereo quod breuitas non deroget utilitati.
Omnipotens opifex (operis?) *dator huius et autor*
Vt ſtet opus ſer opem calamum rege ſis mihi fautor.

Ad *Guil. Britonem* O. M. de quo *Waddingus*, *Fabricius*, *Tannerus*, me deducunt hi Verſiculi, qui compoſitae a ſe *Summae difficilium Vocabulorum Bibliae* mox relatae, et in Bibliothecis hinc inde extanti ita praeluſit:

Difficiles ſtudeo partes, quas Biblia geſtat,
Pandere, ſed nequeo latebras, niſi qui manifeſtat &c.

Partibus igitur, ut ſupra ait, *expoſitis textus* ad praeſentem ſe laborem convertit. Non vanam eſſe conjecturam iſthanc, *Biblia gloſſata* teſtantur, in quibus Partes biblicae *Prologos Hieronymi* cum Expoſitionibus noſtris expreſſo *F. Britonis* nomine praefixos habent. Sed Codicem perluſtrare juvat. Initium ducitur ab Epiſtola *Hieronymi* ad *Paulinum*: *Frater Ambroſius tua mihi munuſcula* &c. in quam Expoſitio ſic init: *Ad euidenciam huius epiſtole quam ſcribit Jeronimus ad paulinum presbiterum notandum eſt, quod paulinus presbiter elegantis fuit ingenii* &c. *Fol.* 32. p. 2. in margine legas: *Prologus primus in librum Job.* Nempe ille: *Si aut fiſcellam junco texerem* &c. Additur autem: *Sed ſecundum pariſien. ſecundus.* Biblia *Pariſienſia* intellige circa an. 1236. in S. *Jacobi* Conventu autoritate et opera *Jordani* Magiſtri gen. O. Praed. et *Hugonis a S. Caro Franciae* Provincialis ita correcte et emendate ſcripta, ut teſte *Lelongio* in *Bibl. ſacra*, et *Quetifo* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 197. ceu Exemplum eſſent *Pariſiis* publice expoſitum. Alter Prologus, qui etiam in *Bibliis gloſſ.* praeponitur, nobis ille eſt: *Cogor per ſingulos ſcripture diuine libros* &c. *Pſalterium* penitus diſſimulatur. *Fol.* 50. ad *Prologum* ſecundum *in Micheam* rurſus in margine notatur: *Prologus iſte non eſt in biblia Pariſien.* Incipit vero: *Sermo dei qui ſemper ad prophetas deſcendit.* Et Expoſitio: *licet iſte prologus in pluribus bibliis* (non) *ſcribatur tamen propter curioſos eum breuiter uolo tranſcurrere* &c. Quod novum Teſtamentum, cui praeter unam *Jacobi Epiſtolae Apoſtolorum* deſunt, adtinet, *Brito* noſter in *Bibliis gloſſat.* locum ſocio ſuo *Nicolao Lirano* ceſſit, quamvis manifeſtum ſit, unum eorum in alterius vitula araſſe; difficile vero diſpicere, quem plagiarium dicas, cum συγχρονοι fuerint, illo anno 1356. hoc vero 1340. e vivis digreſſo. Expoſitio *Prologi Gilberti Pictav.* in *Apocalypſin*, quae in